



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. Quando & in quibus casibus sententia non transit in rem judicatam,
& inprimis an in causis matrimonialibus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

primam sententiam pro nulla habuerint, etiam si directe nihil pronuntiaverint super valore, aut invaliditate primæ sententiæ, sed tantum pronuntiaverint super causa principali.

§. III.

Quando & in quibus casibus sententia non transit in rem iudicatam, & in primis an in causis matrimonialibus?

Sententiam non transire in rem iudicatam, aliud non est, quam quod nulla etiam appellatione interposita, nova tamen instantia iudicii ad causam jam decisam iterum examinandam peti possit; sic sententia contra legitimum matrimonium ad hoc dissolvendum lata, vel quæ lata fuit pro matrimonio, quasi legitime illud contractum fuisset, cum tamen nullam sit, nunquam transit in rem iudicatam, cum semper ad illud redintegrandum vel ad hoc dissolvendum, & retractandam sententiam, quoties competentum fuerit, eam errore quodam latam fuisse, agi possit, ut patet ex *c. Lator, 7. b. r.* neque enim ulla iuris, aut iudicis auctoritas, aut partium consensus, &c. potest dissolvere matrimonium validum, aut invalidum reddere validum, cum talis sententia peccatum foveret, dissolvendo eos, qui veri conjuges sunt, aut coniungendo eos, qui non sunt conjuges. Et quamvis per viam simplicis querelæ ad Superiorem etiam causa hæc deferri possit, potest tamen etiam ab eodem Iudice, vel ex officio, vel per viam simplicis querelæ ad se sententia lata retractari, si de iniustitia huius constituerit. Neque tamen passim, & indifferenter quilibet admitti debet ad sententiam talem impu-

gnandam, ne nimium lites multiplicentur, & cum præsumptio stet pro Iudice; sed prius à Iudice summariâ cognitione dispiciendum, num causa verisimilis subsit sententiæ latæ impugnandæ.

Intelligi tamen hæc debent primò, quòd non transeat in rem iudicatam sententia, à qua non fuit appellatum, quoad ipsum matrimonium; quoad litem enim expensas, in quas succumbens condemnatus fuit, transit in rem iudicatam sententia, si ab hoc congruo tempore appellatum non fuit, cum pro hoc casu nihil probet allata ratio. Secundò, quòd transeat in rem iudicatam sententia, à qua appellatum non fuit, si pro favore matrimonii ex errore quidem malè iudicatum sit, error tamen hic ex consensu partium corrigi possit; si v. g. de matrimonio gravi metu injustè incusso iudicavit Iudex, quòd validum illud sit, & pars metum passa non appellavit post latam sententiam, sed potius vel de novo in matrimonium expressè consensit, vel marito v. g. matrimonialiter post latam sententiam cohabitavit, ita ut in matrimonium prius ob metum invalidum, postmodum consensisse præsumatur, quia sententia talis non fòvet peccatum. Tertiò transit in rem iudicatam sententia (saltem quoad nocentem conjugem) si non quidem ad dissolvendum matrimonii vinculum, sed in causa divortii ad cohabitationem tollendam lata sit, quia neque hæc sententia peccatum fòvet, ita tamen, ut innocenti semper liberum sit, etiam post terminum appellationis elapsum, ad reconciliationem partis nocentis agere, nisi nocens statum jam mutavisset, professionem religiosam faciendo.

§. IV.

Bbb 2